



Ant<sup>o</sup> Palom<sup>o</sup> lo Pinto.

Juan Palom<sup>o</sup> lo Grabo.

Psal.  
44.

**Graduale.** Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis. **Ps.** Eruclavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. **Allelúia, allelúia.** **Ps.** Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. Allelúia.

Psal.  
92.

**Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.**

Matt.  
2. b

**I**n illo tempore: Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël, defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Israël. Audiens autem quod Archelæus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secéssit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

Psal.  
92.

**Offertorium.** Deus firmavit orbem terræ, qui non commovebitur: parata sedes tua Deus ex tunc, à sæculo tu es.

**Secréta.**

**C**oncède quæsumus omnipotens Deus: ut oculis tuæ majestatis munus oblatum, & gratiam nobis piæ devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum.

**De S. Telésphoro.****Secréta.**

**M**unera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beato Telésphoro martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende.

**De sancta Maria.****Secréta.**

**M**uneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque susceptis: & cælestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum nostrum.

**Præfatio de Nativitate.**

**Commúnio.** Tolle puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.

Matt.  
2. d**Postcommúnio.**

**P**er hujus Domine operationem mysterii, & vitia nostra purgentur, & justa desideria compleantur. Per Dominum.

**De S. Telésphoro Papa & Mártire.****Postcommúnio.**

**R**efecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: ut cujus exequimur cultum, intercedente beato Telésphoro Mártire tuo atque Pontifice, sentiâmus effectum.

**De sancta Maria.****Postcommúnio.**

**H**æc nos commúnio, Domine, purget à crimine: & intercedente beata virgine Dei genitricæ Maria, cælestis remedii faciat esse consortes. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

IN